

## Epistulae Rudolphi Langii sex.

Edidit W. Crecelius.

Saeculo quinto decimo uergente ad excitanda per Germaniam ingenuarum artium studia plurimum contulit cum aequalibus familiaribusque Mauritio Spigelbergio et Rudolfo Agricola Antonioque Libero uir clarissimus et nobilissimus Rudolphus Langius Vestfalus. Cuius de uita scriptisque etsi saepius nuper subtiliter expositum est, tamen — quae est raritas eius aetatis librorum — paucae epistulae anno 1469 ad Antonium Liberum ab hoc missae ac paulo post per illum uulgatae nostra memoria non sunt ab iis adhibitae, qui uitam hominis doctissimi descripserunt. Quae quidem cum non minimum ualere uiderentur ad Langii in adiuuandis humanitatis studiis rationes ac uoluntates uel perspicendas altius uel accuratius depingendas, oblata subito hac occasione programmatis scholastici non alienum a re uisum est denuo in lucem protrahere illa monumenta animi liberalis et in optimis litteris penitus defixi. Scriptae autem tunc ipsum epistulae sunt cum Langius modo ex Italia redux quod ibi maximis haustibus imbiberat ingenuarum artium studium id inter ipsos quoque populares aut excitare enixe aut diffundere conatus est. Nam diuino quodam ardore animi latus quos nouam studiorum rationem ingredi uidisset non solum auctoritate et adhortationibus confirmauit, uerum etiam consilio libris opibus adiuuit. Quid? quod eundem in summa lenitate ingenii uidemus in detrectatores liberalium doctrinarum acerbius inuehi insectarique uehementius. His omnibus rebus uirum clarissimum de litterarum per patriam incrementis mirifice meruisse etsi cum Hamelmannus memoriae prodit tum ipsius scripta declarant, tamen ex primis illis post reditum in patriam annis — ex quibus omnino perpauca supersunt aut scripta ab Langio aut aliorum de eo testimonia — uix quicquam reperias, quo dilucidius ingenium et mores hominis depingantur, quam his ipsis quas publicamus epistulis factum est.

Antonium Liberum siue Vrye (Frye) Susatensem Hamelmannus auctor est (Opp. genealog. p. 263. 285. 323) Dauentriae eodem tempore quo Langium prima litterarum elementa didicisse ac postea opera Spigelbergii et Langii auctum confirmatumque omne studium in artium incrementa contulisse uexatumque a turba eorum qui nouo litterarum lumini officere conarentur ac pluribus locis expulsum tamen numquam destitisse modo hic modo illic quasi officinam quandam doctrinae et humanitatis instituere: praefuit enim ludis litterariis multis deinceps locis, Embricae Campis Amstelodami Almariae. De uita scriptisque huius uiri nescio quo pacto accuratius nondum enarratum est: in illis quidem acquiescere cogimur, quae abhinc triginta annos exposuit Dillenburgerus in programme gymnasii Embricensis (1846 p. 11 sq.), atque is ipse maxime usus Hamelmanni auctoritate sua contextuit. Antonius igitur Liber, dum nescio quo anno Coloniae uersatur, auctore Arnolde de Hildesheim\*), tum quidem rectore scholae Groningensis, collectas ex thesauris „tot tantarumque“ illic bibliothecarum epistulas „familiares“ et ueterum et recentiorum publicauit, „quibus et uisis et perlectis scholares Arnoldi spretis barbarorum insectiis tersum forte nitidumque scribendi stilum amplecterentur.“ Typis descriptae sunt forma binaria sine loci uel anni significatione. Ceterum quoniam Coloniae compositum opus est in eadem ciuitate

\*) Arnoldus Hildeshemensis, ut tradit Boutzbachius (cf. Zeitschr. d. Bergischen Geschichtsvereins VII p. 245), postea Embricensi gymnasio praefuit. Exstat Langii in eum epigramma (uide Parmeti librum „Budolf von Langen, Leben und gesammelte Gedichte“ p. 202).

expressum esse facile conieceris et id quidem post annum 1471: nam eo anno scripta epistula quaedam R. Agricolae est, quam Antonius in opus recepit. Illo quae contineantur cognosces ex hac tabula, quam auctor post praefationem addidit:

- „Ex Marco Tulio Cicerone Oratore summo et purissimo.  
 Ex Dino Hieronimo presbitero eloquentissimo.  
 Ex Symacho Patricio Rhomano Oratore egregio.  
 Ex Mellifluo doctore sancto Bernardo abbate.  
 Ex Anthonio Panormita Poeta laureato.  
 Ex Seneca philosopho clarissimo.  
 Ex Gwiniforto Barzizio milite viro Oratorie rationis preclarissimo.  
 Ex Gasperino Pergamensi facundissimo viro.  
 Ex Enea Siluio Poeta laureato.  
 Ex Francisco Philelpho milite et Poeta laureato.  
 Ex Gayo Appollinari Sidonio Insigni poeta.  
 Ex Thoma de Aquino Theologo.  
 Ex Disertissimo viro Poggio Florentino.  
 Ex Leonardo Aretino viro eloquentissimo.  
 Ex Epistolari Phalaridos.  
 Ex Diuersis alijs ornatissimis ac eloquentissimis Autoribus.“

Post Phalaridis epistulas „e greco in latinum per disertissimum Oratorem Franciscum de Aretis“ translatas primum quidem recepta est „Magni Oratoris Collucij veneti Ad dñm Paulum de Cercaldo Epistola ad studia liberalium Artium exhortatoria“ duodecim capitibus constans, deinde aliquot exempla epistularum sine nominis inscriptione, tum Rudolphi Langii ad Antonium Liberum quinque epistulae, ad Lubbertum Zedeler una, tum Rudolphi Agricolae duae, denique ipsius Liberi sex. Constat liber 96 plagulis; prima uacua relicta, in altera (signatur illa a 2) continentur cum hac inscriptione „Familiarium epistolarum Compendium ex diuersis hinc inde Probatissimis autoribus pro communium studencium profectu futurorumque Rethorum ac Oratorum eruditione Per discretum ac eruditum virum Anthonium Liberum zusatensem reollectum Feliciter incipit“ primum quae est loco praefationis epistula „Eruditissimo viro magistro Arnolde de hildenshem Rectori scholarium Gronynghen Phrisie“ inscripta, deinde „Tabula Autorum ex quibus sequens Epistolarum opus summa cum diligentia extat extortum“, quam supra describendam curauimus. Extremo opere subscriptum est „Familiarium Epistolarum compendiolum per Anthonium Liberum de Susato taliter qualiter collectum explicat. Deo gratias.“

Langius quibus annis in Italia uersatus sit non satis certis testimoniis traditum est. Atque Parmetus in libro de Rudolphi Langii uita scriptisque p. 37 sqq. rationibus accuratius expositis probare conatus est inde ab anno 1466 usque ad eiusdem saeculi septuagesimum fere afuisse eum a patria. Quod etiamsi in uniuersum recte computatum esse uideatur, his certe epistulis peregrinatio Langii artioribus terminis definitur: nam hunc cum mensibus Februario et Martio anni 1469 uersatum esse in Frisia inde cognoscamus, quod illinc ad Liberum aliosque saepius epistulas misit, statuendum erit, si non prius, at autumno proximi anni ex Italia redisse.\*) Monasterium autem Adwerth, ubi Langius hospitio exceptus

\*) Consentit fere cum Parmeto Cornelius, qui ipse quoque (die Münsterischen Humanisten p. 6) statuit post studia Erfurdensia (1460) Langium in Italiam profectum esse. At Dillenburgerus, quod olim censuerat, antequam Erfurdae literis operam daret, illum adolescentulum annis fere 1455-1458 cum Spiegelbergio in Italia uersatum, id nuper fusius defendebat in Bonitzii Annalibus (Zeitschrift für das Gymnasial-Wesen) 1870 p. 492 sqq. Adhuc sub iudice lis est.

fuit, prope Groningam situm insigne erat laude studiorum et litterarum. Vide D. Gerdesii *Hist. Reformationis* III p. 157. Ipse quoque Ioannes Wesselus saepius ibi uersabatur ac dulcibus colloquiis commercioque fruebatur hominum doctissimorum undique eo concurrentium (uide Ullmannum *Reformatoren vor der Reformation* II p. 382 sqq.) Scripsit Goswinus Halensis, Wesseli olim famulus, Alberto Hardenbergio, qui uitam uiri sanctissimi Wesseli enarrauit: „Noui Adwerdiam ante annos quadraginta et eo plures: tum doctum uirum si quaesiuissem, hunc in Adwerdia inuenissem aut alibi nusquam in tota Phrisia. Erat ea tempestate Adwert non tam monasterium quam Academia. Horum mihi testes essent, si superessent, Rodolphus Agricola, Wesselus Groningensis, Guil. Fredericus Pastor, Johannes Oestendorpius, qui adhuc superest, Rodolphus Langius Monasteriensis, Paulus Pelantinus, Alexander Hegius . . . et alii, qui totas hebdomadas, ne dicam menses, in Adwert deuersari soliti sint, ut uel audirent uel discerent, unde et doctiores et meliores quotidie efficerentur“ (uide Ullmannum l. c. p. 383). Antonii autem Liberi filius, cui nomina fuerunt Ioanni Antonio, in coenobio Adwerdensi uitam egit (*Bibliothec. Historico-Philologico-Theologic. Classis Quintae Fascicul. Quart. Amstelodami 1722 p. 681*).

Epistulae Langii in opere Antonii multis et foedissimis inquinatae mendis leguntur, nec contigit ut locos corruptos omnes sanarem. Scripturam illius aetatis plurimis in rebus retinui: quamquam ubi illa uariabat meliorem fere praetuli. Ceterum ubicumque discessi ab archetypo, quae in hoc leguntur, adscripsi addita nota L.

## 1.

## Rodolphus de Langen S. D. P. Anthonio Libero Susatensi.

Haberm meo quidem iudicio <sup>1)</sup>, quo te, humanis studiis deditissime, accusarem, quia—ut mihi tui cupidissimo discedens promiseras—non reuertisti, ni <sup>2)</sup> uia, que te inter et me est, plurimo limo lubrica ut est, detentus esses. In meipso reuera metiri possum, quam graue pedibus iter sit facere, qui ad nullum opus ineptiorem me comperi quam meis uestigiis iter conficere. Sed de hoc <sup>3)</sup>. Tu tamen, mi amantissime Anthoni, si quo modo uales, Rodolphum tuum diutius te carere non sine. Breuis, mihi crede, qua simul fuimus mora adeo me tue uirtuti conciliauit, ut te totum complexum teneam tibi que morigerus esse uelim cupiamque. Peperit hanc rem et tua eximia uirtus, qua te prestare et audio et comperi, et studiorum nostrorum parilitas, quibus in hac uita nihil humanius nihil liberalius integris ingeniis concessum credo. Hec, inquam, studia sunt, ut Ciceroni <sup>4)</sup> nostro placet, que nobiscum peregrinantur, nos solos esse non sinunt, grata iuuenibus nec senibus onerosa. Hec Syracusanus ille Dionisius adeptus fortius a tyrannide exactus exilium tolerauit, dicens a Platone didicisse ea, quibus minaces aduersae fortune impetus si quando acciderent perferre <sup>5)</sup> posset. Quid in uiris uirtute claris agent hec studia, si truculentissimis et sacrilegis tyrannis tanta contulerunt: ut non abs re credi possit, hisce rebus confirmatum magnum illum beneuendi magistrum M. Tullium Ciceronem tum <sup>6)</sup> ciuilibus bellis, senatu et iudiciis <sup>7)</sup> extinctis, omnibus ad unius potestatem redactis tam altum et pene diuinum in beneuendi preceptis euasisse, quibus nulli Latinorum philosophorum cedit, ut non iniuria Latinorum Socrates dici possit. Immortalitate dignissimum sane ingenium! quod nobis utinam longe etiam imitari donetur, cum — pro chopudor et nostre patrie dedecus <sup>8)</sup> — miraculi loco habeatur aliquem uidere res istas affectantem, taceo scientem. Artes igitur hee <sup>9)</sup>, quas in deliciis habemus, nos notos simul fecere notioresque indies reddent, si tu quod percipio ad me uenies. Poteris iam istae cum nauis qua he mee ad te ferun-

<sup>1)</sup> iuditio L. <sup>2)</sup> in L. <sup>3)</sup> sic L; intercidisse uidetur satis. <sup>4)</sup> pro Archia poeta 7, 16. <sup>5)</sup> proferre L. V. Plut. Timol. 15: οὐδὲν, ἔφη, σοὶ δοκοῦμεν ὑπὸ Πλάτωνος ἀφελῆσθαι τύχης μεταβολὴν οὕτω φέροντες; <sup>6)</sup> cum L. <sup>7)</sup> iuditijs L. <sup>8)</sup> deditus L. <sup>9)</sup> hee = hae.

tur ire. Sed tue uirtuti rem committo. Intelligis arbitrator ex his paucis quid uelim, quid desiderem. Si te autem uenire contigerit, rogatum te uelim, ut aliqua tecum adducas, de quibus inter nos commentemur. Sis felix et litteris tumultuarie scriptis ignosce: diuturnum sane otium quasi quedam ingenii rubigo, ut ille<sup>10)</sup> ait, si quid in me umquam fuit eloquii exsiccauit. Ex Adwerth VIII kalendas Martias.

## 2.

## Rodolphus de Langhen S. D. Anthonio suo.

Si tecum mihi super scriptionis elegantia certamen esset, potuisset profecto iuxta Virgiliani Daretis<sup>1)</sup> presumptionem me mee penituisse: ita longe te secus quam rebar disertissimum comperio. Gratulor et seculo nostro et patrie uehementer, quod ad angulum usque nostrum ex Elycone sua munera sacre ipse Muse transmissere, sed integerrimum ingenium tuum mihi contemplanti nescio quid indignationis in fortunam ipsam mentem subit, que te, ut scribis, non inter Musarum thoros, sed inter Bachi orgia commorari dedit. Sed cecam fortunam ipsam pinxit antiquitas, non admirationem istiusmodi rei nobis affert, sed cece rei impetus alto et inuicto animo ferendus est. Legisti nobilis tragici elogium<sup>2)</sup>

O Fortuna uiris inuida fortibus

Quam non equa bonis premia diuidis et ea que sequuntur.

Fabius Quintilianus lumen atque oculus sapientie et eloquentie latine, qui sub Domitiano Cesare libros suos institutionum de rethorica conscripsit, numquid pauperem et tenuissimam uitam uixit, adeo ut in scola paruulos doceret, res sane pro ingenii sui magnitudine indignissima! Non multum eo inferior Firmianus Lactantius, qui ingenii sui fontibus tantam effudit eloquentie uim, ut autore Hieronimo<sup>3)</sup> nemo melius eo gentium ineptias et deorum figmenta contriuerit, et rebus pauper et eque in scola pro uili salario<sup>4)</sup> rethorice precepta dabat iuuenibus. Quid sibi summorum uirorum inculcatio<sup>5)</sup> ista uelit forte dices. Sed<sup>6)</sup> ut te admoneam magnos uiros in ea fortuna sudauisse, qua tu nunc inter Bachicos homines (ne beluas dicam) uitam trahis. Scio quo ego pacto principum curias (ne miserias dicam) sequor, ubi nullum cum uirtute commercium<sup>7)</sup> reperiri potest. Occupant, si quid experto credis, alta palatia regum uitia, sed humiles tantum casas uirtus inhabitat. Sic ambo nostris erumpnis ducimur. Ambitionis me labe a saluberrimis sepe doctrinis exulem facit, sed deo auctore statuatur meis aliquando grauibis erumpnis modus. Te eciam, spero, tuumque tam fecundum ingenium sua merces manet. Virgiliano igitur hoc uersu<sup>8)</sup> ineptias meas concludam:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Vincet amor Muse laudumque immensa cupido.

His me sepe uersibus confirmaui. Te ualde expecto: spero tanto me desiderio, vir amantissime, falles minime. Ocissime ex Adwerth VI. kalendas Martias. Etiam atque etiam uale.

<sup>10)</sup> Ovid. Trist. V. 12, 21: Adde quod ingenium longa rubigine laesum Torpet.

<sup>1)</sup> Daretis cum Entello certamen describit Vergilius Aen. V 362 sqq.

<sup>2)</sup> Sen. Herc. fur. 528 sq. <sup>3)</sup> Scribit Hieronymus in epist. XIII. ad Paulinum: Lactantius, quasi quidam fluuius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. <sup>4)</sup> solario L. De egestate Lactantii haec tradit Eusebius (Chron. ad annum CCCXVIII): Crispum Lactantius Latinis litteris erudit, uir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeo in hac uita pauper, ut plerumque etiam necessariis indigerit. <sup>5)</sup> inculcatio L. <sup>6)</sup> Sic L; uereor ne sed ortum sit ex compendio uocis scilicet male intellecto. <sup>7)</sup> commercium L. <sup>8)</sup> Prior uersus est ex Aen. VI 95, alter sic legitur VI 823: uincet amor patriae laudumque inmensa cupido.

## Suo Anthonio iocundissimo S. P. D. Rodolphus de Langen etc.

Iohannem XXII pont. Max., quem sacer Constantiensis consilii Senatus sese pontificatu coegit abdicare, dicere solitum, cum plus equo laudaretur, accepi, falsa se etiam assentatorum laude delectari, etsi sciret ea falsa que predicarent. nec ab re. ita enim humana mens glorie cupida<sup>1)</sup> est, ut, cum cetera anime labes pellantur ab homine, tenacius adhuc laudis cupido inhereat, adeo etiam ut multi, quos ego quidem doctissimos arbitror sui temporis uirtutum magistros philosophos, dicerent glorie animal. Quis unquam uel domi uel belli aliquid apud ueteres facinoris clari subiuit, qui non aliqua laudis cupidine flagrauisset? Enimuero quia tantus amor laudis, nemo iustus rerum censor mirari debet, si falsis etiam laudibus tantus pontifex sese aiebat delectari. Hac fortassis ego labefactus peste, excellenti et ingenua laude tua captus (qua tantopere litterarum mearum ineptias tibi placere ais) ut crebras ad te litteras mittam impellor, quasi aliquid quod tibi magnopere gratum uideatur. Sed non uelim a te in eam partem accipi hec, quasi te putem falso me uelle laudare — non tante leuitatis te damno — sed quod forte errore et amore prepeditus aliter quam res se habet sentias. uerum non minus litterarum te fascibus contendam obruere, si eo in genere, ut Tullius<sup>2)</sup> ait, meum studium non aspernabere. Sane, quid sibi uult, mi Anthoni, quod singularis deuotionis et religionis uiro, domino Woltero, a te petenti, ut rem perpauculam mittas, morem gerere actenus<sup>3)</sup> distulisti. In eum enim locum usque, quo kalendarum supputatio<sup>4)</sup> explanatur, elegantias nostras egoipse transcripsi. quia ita me iam cupido incessit, ut integrum hoc opus aureum malim quam truncatum habere, te precor, ut cumprimum poteris mittas ad nos illud quod nostris ex cartulis nobis deest. Capiemus, mihi crede, ex re ea pauca litterarum dulces fructus ibique mihi cartula hec mea irremota comes. tanti enim eius rei dignitatem facio, quanti unquam alicuius tante breuitatis feci. O Vallanam<sup>5)</sup> facundiam! O eius uiri ingenium immortalitate dignissimum! qui latinam a barbaris linguam miserabiliter oppressam releuasti, fouisti, suum ei imperium apud Romanos reddidisti.<sup>6)</sup> Sit tibi terra leuis et in urna perpetuum uer! qui ea nostrum seculum gloria decorasti. Sed me Vallana uehementia rapiebat, de cuius uiri laude numquam satis dici posse arbitror. Ad te reuertor, mi Anthoni. Etsi opus hoc Laurentii Valle non fuerit, ex eius tamen depromptum officina certe scio. In qua te precor, si quid apud te preces mee ualent, tete oblectare. dabit profecto dabit suas<sup>7)</sup> tibi messes cum fenore reddi. Vale sospes. Ex Adwerth occissime, ut uidere potes, ex medio colloquencium, quibus et meum officium quaecumque abesse passus non sum. Lege igitur et relege diligencius. quid uelim forte capies. et spero tantum in meis leporis inuenies, quantum in horridulis illis monstrisque uerborum plenis, quas Osnaburgius ille iuuenum pedigogus nescio quid barbarum frendens ad te mittit cottidie. Sistite procul sacro Musarum thoro rudentum pocius quam hominum uoces. Crederem facile iuxta quarundam feminarum deliramenta et demones ipsos hoc uerborum turbine conuocari, ut fabulantur horum uersuum recitatione *F e c a n a k a g e t i* etc. clausas aliquando seras resiliisse. Mouit efferata barbaries mihi stomachum, ut tantam iniuriam latino nomini pro uirili mea<sup>8)</sup> fieri non patiar. Non crediderim a Poenis inclitum illum Regulum tot plagis olim affectum, tot

<sup>1)</sup> cupido L. <sup>2)</sup> Epist. ad fam. II, 1. <sup>3)</sup> Sic omnibus fere locis in L pro hactenus. <sup>4)</sup> supputatio L. <sup>5)</sup> Laurentium Vallam Hamelmannus auctor est a Langio in Italia uersante auditum esse: quod num fieri potuerit nescio; uaria enim fama est de anno, quo uir doctissimus mortuus sit (u. Dillenburgerum de re disputantem in Bonitzii Annalibus p. 498). Ceterum elegantiolae illae, quas Langius partim ipse descripsit partim per Liberum describendas curauit, non sunt Elegantiarum Latinae linguae libri sex, quos Valla edidit, in quibus nihil de Calendarum supputatione legitur, sed excerptae fuisse uidentur ex Laurentii scriptis siue, ut ait Langius, ex eius officina depromptae. <sup>6)</sup> reddidisti L. <sup>7)</sup> suos L. <sup>8)</sup> De hac locutione reprehensus se defendit in quinta epistula.

tantisque cruciatibus nobile contortum corpus, quantum iste inaudita et intollerabili scribendi barbarie latinam labefacit linguam et conturbat. Plura scriberem si esset dignus sermo de quo uerba fierent. Iterum uale et male scriptis apicibus parce. Tertia kalendas Martias ad candelam.

4.

#### Rodolphus de Langen S. D. P. suo Anthonio Susatensi.

Relegenti hanc mihi elegantiarum nostrarum particulam tuasque auidissime litteras recipienti nescio quid in diuersa trahentis animum in me dubii subortum est, quia, cum desideratam inprimis epistolam tuam recipio, te supra quam satis est in mea uideo laude sudauisse, ita ut ingenium tuum, mihi crede, admirari necesse sit. Ex alia me parte emendatio rei quam misisti reuocabat, ut ei si quam possem limam applicarem. Sed re ipsa inspecta prima se obtulit facie corruptissimam, quo non parum turbatus sum, eo quod uirtuti et ingenuitati tue morem non gerere, re nedum adeo pauca, uerum et longe maiori, nefas esse duxi. Quod igitur littere uoluptatis afferebant, reddendi tibi muneris impotentia intermisit. Ne tamen me nihil tua in re fecisse forte suspiceris, morem cuiuspian excellentis uiri sequor, qui cum Pii II. pont. max. summi ac disertissimi uiri in minoribus adhuc agentis litteras forte emendandas suscepisset, atramenti lituris totas informes reddidit emotoque nonnumquam aptissimo uerbo barbarum atque inconcinnum restituit, requirentique (ut iocundissimis salibus factus erat) tunc Enea<sup>1)</sup>, cur latino uerbo remoto ineptum reddidisset, respondit: Poteras quidem me tuas non legisse suspicari, si intactas remissem. Non secus et mihi accidit, qui cum rem omni ex parte reparare non possem, quasi desperans ei ut ualeret imperaui. Sed Virgilianum illud cum mentem subiret labor omnia uincit improbus tuumque mentem meam desiderium caperet, eo quo Pii littere<sup>2)</sup> et rem tuam forte emendauit, ut tuipse uidere poteris. Cum primum simul erimus, omnem te facile rem quam uolunt hec precepta docebo. Sed iam ad litteras tuas reuertor meeque paruitatis egregiam laudem, ad que<sup>3)</sup> si respondere uelim, citius me non solum hec nox sed et futura dies quam oratio deficiet. Illud tamen silere non possum, quod eo usque amore forte minus prospiciens euasisti, ut Plauto illo<sup>4)</sup> mihique pene infantissimo hoc tribuas, quod Cicero alicui etiam<sup>5)</sup> qui ante eum uel sua tempestate fuerant concedere uerebatur. Ait enim<sup>6)</sup> disertos complures, eloquentem uero uidisse neminem. Utinam, deus bone, mihi mediocriter disertum esse donatum foret! Pone igitur laudationi tue in me frenos; non ita sum arrogans, ut uel centessimam illarum rerum mihi usurpare audeam partem, quibus tuis me predicationibus extulisti. Si quid a me muneris accepisses aut premii tua uirtute digni, illud te non immerito carperet Ciceronis elogium, quo et Grecorum leuitatem notauit. Verba eius sunt<sup>7)</sup>: Ingenita leuitas et erudita uanitas, regum suorum uel principum laudes accepta mercede dicebant. Qua re quid stultius, uanius? Assentatio enim, que uernacula regum pestis opesque eorum, ut Curcius ait, facilius quam hostis euertit<sup>8)</sup>, prinatorum etiam mentes ita ligat, ut se minus sepe uideant<sup>9)</sup> in magna rerum suarum egestate non egere. Noli ideo me nondum artis discipulum magistri honore dignare. Sed familiares et quod facile potes suauissimas litteras ad me mitte, non minus meas ad te proficisci studebo. Velim, mi Anthoni, uti libellum Plutarchi de iuuenum institutione tantisper mihi mittas, dum meum qui corruptissimus est limatiorem efficere possim. Tenet idem me ferme desiderium ysagogici libelli in moralem disciplinam Leonardi Aretini, cuius tu titulum habes, quasi

<sup>1)</sup> Sic L. <sup>2)</sup> Hic in L. pauca interciderunt. <sup>3)</sup> quem L. <sup>4)</sup> Locus corruptus, excidisse quaedam uidentur. <sup>5)</sup> Hic suppleendum uidetur eorum. <sup>6)</sup> Cic. de or. I, 21, 94. <sup>7)</sup> Non uidentur ea quae sequuntur in Ciceronis libris exstare. <sup>8)</sup> Curt. VIII, 5, 17. <sup>9)</sup> Sic fere locus restituendus est: ut sibi ipsis sepe uideantur.

Aristotilis sit liber de moribus. Hosce, si tibi graue non est, libros mitte, reddam habita facultate integritati tue gratiam forte parem. Vale et me, ut arbitror quidem, ama. Accidet in meis tibi forte litteris, quod Hieronimus<sup>10)</sup> uir ingenii et sanctitatis gloria prestans in Iouiniani commentariis sibi obuenisse commemorat, ut, sicut ille ex barbaro sermone sententias quas uincere debebat capere non poterat, ita ex malis et mendarum plenis quid forte uelim litteris non intelligas<sup>11)</sup>. Sed qui me cubatum conducent expectant famuli. Contineo calamum te iterum atque iterum ualere iubens. Ex Adwerth VI ydus Martias.

## 5.

## Rodolphus de Langen Salutem dicit Anthonio etc.

Poteram ego quidem, quod a me actenus persepe dissimulatum est, eo te ordine alloqui, quo ueteres illos dicendi magistros sese inuicem salutauisse comperio, quod item nostri pene seculi singulares illi lingue latine et reparatores et duces precepisse intelligo. Sed quo nescio ductus abusu meliora sciens probansque deteriora sequor presertim ad harum rerum doctos me scribente. Ex quorum grege te sane unum esse perspectum mihi habeo. Scribam ideo ad te deinceps tuo meum nomen proponens, longe cum doctissima antiquitate uera sentire et egregia malens quam nostris hominibus ignorantibus sequacem me prebere. Video tuis te litteris, mi Anthoni, magnopere flagitare, uti quasi Philippicis quibusdam contra<sup>1)</sup> artis nostre turbam insurgam eorumque impudentem inscitiam blaeterantesque<sup>2)</sup> sententias diserta admodum oratione reuellam. Est sane uirtutis tue petitio hec haud inelegans, sed prestare quod petis in hoc forte labor arduus uideri potest, non quod me hec deficiant, quibus in eos inuolem, qui impudentissima artem nostram lingua insectantur, sed quod tanta se offerant, ut a quibus sumam exordium animus hereat et in dubio fluctuet. Nesciunt insani, nesciunt, quantas doctrina uires habeat cum ea ignorant, sine quibus ueterum nemo magnus euasit, nullus ex sapientissima illa antiquitate immortalis memorie consecratus est. Sed malunt seculi nostri homines sua impudenter ingerere, quam aliena uerecunde discere, unde hoc eis obuenire solet, ut, cum illotis (ut sunt) manibus ad res magnas sanctasque conuolant, eas quia ob nostrarum rerum ignorantiam capere non possunt, ignominiose missas facere necesse sit. O deus bone, in quot Augustinianis dignis sane celestibusque doctrinis insulsa horum presumptio tamquam in uado heret! Quot diui Hieronimi sententias, quibus ut stellis Christiana splendet religio, dum ineruditi tractare uolunt, incognitas ualere sinunt! Quid? Firmianus Lactancius, omnium Christianorum proculdubio eloquentissimus, numquid eis patet? quo nemo falsam religionem explodit melius. Ille sane, qui sapit Ambrosiam dicendo, Ambrosius quam illis incognitus, quam non intellectus! O pietas! O prisca doctrina! quanta ab hisce doctrinarum iudiciis nobiles sanctorum quos dixi et eloquentissimorum libri afficiuntur iniuria, dum aptissimo et eleganti eraso uerbo ineptum rescribunt et barbarum! Iurarem prorsus Gothos efferate barbarie gentes tantis uix Romanum affecisse<sup>3)</sup> cladibus imperium, quantis isti truculentissimis suis latinas litteras manibus lacerant trahunt discerpunt. Quam mihi bilem concitant (ut<sup>4)</sup> sicut legundorum quos dixi autorum libris percupidus sum) cum tantas barbare manus lituras uideo! Res sane lugenda plangenda et lacrimis insectanda! Possent forte in sua ingenii tarditate dimitti tollerandaque esset eorum peruersitas, qua res quibus sane longe indignissimi sunt spernunt et insectantur, si intactos incorruptos quos non intelligunt libros sinerent.

<sup>10)</sup> Hieronimus L. cf. aduersus Iouinianum I: uerum scriptorum tanta barbaries est et tantis uitiiis spurcissimus sermo confusus, ut nec quid loquatur nec quibus argumentis uelit probare quod loquitur potuerim intelligere. <sup>11)</sup> intelliges L.

<sup>1)</sup> Omissum h. l. uidetur contemptorum. <sup>2)</sup> Sic omnibus locis in L. blaeterare pro blaterare. <sup>3)</sup> effecisse L. <sup>4)</sup> Locus sic fere sanandus est: ut scilicet legundi eorum quos dixi autorum libros percupidus sum.

Sed aliter quam institueram facio, ingrediens pugnam ad preliumque descendens nullo instructo agmine, sed tumultuariis copiis hostem prouocans. Conflabo posthac exercitum ex meis non solum militibus, uerum summorum imperatorum, qui in hybernis nunc agunt, mihi dum opus fuerit suppetias ferentium. Habeo quem ante signa ducem constituam, sunt pretores qui suas ducant cohortes. Sed longe hostem uincere facilius arbitror quam cognoscere. Si ingenui sunt hostes, aggrediantur queso aperta fronte et non a tergo feriant. Scriptis rem suam agant, non uetularum instar garriant<sup>5)</sup>, ordinent sobrio pectore tela in nos et inter Bachum et Cererem non lacessant. Certemus armis nostris incomposito uulgo incognitis. Numquam sane absque argumentis eo me inducent, ut corrente eorum sorte<sup>6)</sup> aut disputante Platone modorum significandi ineptiis, strepitu dialectice<sup>7)</sup> atque decipulis adeo terrear profligar mutusque sileam, ut non dicam quod sentio, indigne scilicet inepte atque furiose arti tam egregie nobili et amplissime detrahi. Praui enim et iniqui iudicis est in causa sibi non cognita diffinire ac sententiam ferre. Sed eos cum suis ineptiis rabulas relinquemus. Nos interea dulcissimis Musis studebimus earum dulci contubernio perfruentes. Hesit posteaquam a te discessi hoc animo, quod quempiam dicebas meis in litteris ad te scriptis notasse, quia dixerim pro uirili mea<sup>8)</sup> quasi aut barbarismi aut soloecismi<sup>9)</sup> uitium sic loquens aut scribens incidim. qui uelim sciat sic me loquentem nulla linguam latinam iniuria affecisse, sed optimos eius duces principesque sic loquentes imitatum esse, qui si errauerint longe cum eis errare malo quam cum eoipso qui mea notauit uera sentire. Ita enim deliberatum me penes habeo, ut M. Tullium Ciceronem M. que Fabium Quintilianum ac reliquos innumeros, qui digne latineque locuti sunt, sequi malim, quam horridam ieiunam incultam, qua nostra prochpudor natio plena est, orationem amplecti. Videat ille latine lingue censor quos dixi ueteres. plura inueniet quibus forte prisceos male usos et ignorantie damnabit. Quid dicet cum leget Et id genus monstra, In presentiarum, Est locus in carcere quod Tullianum<sup>10)</sup> appellant, Est tibi cognomen Scipioni, Mille militum occisum est, dum Romani rerum potirentur, et id genus infinita, quibus eloquentissimorum libri referti sunt, quibus et pro summo ornatu nobisque utendum sit. Que etiam nisi secuti fuerimus, omnem sane elocutionis ordinem perturbabimus. Si preterea in me carpando perget, quisunque tandem is sit, senciet profecto sentiet, quanto uersem turbine telum, quantusque in hostem qualibuscumque etiam meis studiis insurgere possim. sequetur et nostro de uulnere sanguis. Sed iam uale ualitudinem tuam curans. Ex Adwerth festinantissime XII kalendas Aprilis.

## 6.

**Claro adolescenti Lubberto Zedeler\*) de Monasterio Artium magistro liberalium  
Salutem dicit Rodolphus de Langhen Canonicus Monasteriensis.**

Est M. Tullii Ciceronis in VI. de rep.<sup>1)</sup> sententia omnium qui remp. iuuerint auxerint defende-  
rint<sup>2)</sup> certum et diffinitum in celo locum esse quo beato et sempiterno euo fruuntur. Alius forte in

<sup>5)</sup> garrient L. <sup>6)</sup> Locus mendis foedissime deprauatus; scite D. Volkmannus coniecit sic legendum esse „currente Grecorum fonte aut disputante Platone“: qua emendatione uir doctissimus si non ipsa Langii uerba at certe sententiam loci expiscatus esse egregie mihi uidetur. <sup>7)</sup> dyaletice L. <sup>8)</sup> Vide epist. 3. <sup>9)</sup> soleocismi L. Ceterum h. l. praepositio in intercidis uidetur, quam abesse ne illius quidem aetatis usus pati uidetur. <sup>10)</sup> Tullium L. Locus est Sallustii Catil. 55.

\*) Lubbertus Zedeler Monasteriensis, doctor iuris et professor in academia Rostochiensis, ubi quadraginta annos natus pridie kal. Octobris 1485 diem obiit: mortui honori Langius elogium composuit (in carminibus VIII., uide Parmeti librum p. 191). Idem epigramma scripsit (in carminibus XXXI., Parmet. p. 199) „in doctissimi uiri magistri Lubberti Zedeleri, Romanarum legum consultissimi doctoris, peregrinationem, qua a Balthici maris itore ad Aquasgranni profectus, Agrippinensem contemplaturus Coloniam.“

<sup>1)</sup> de rep. VI, 13 (Somnium Scip. 3): sic habeto, omnibus, qui patriam conseruauerint adiuerint auxerint, certum esse in caelo et definitum locum, ubi beati aeuo sempiterno fruuntur. <sup>2)</sup> defenserint L.



rebusp. uiros bellicis laudibus habundantes extollet, qui et forte nonnumquam utiles satis sunt. Alius hos admiratur, qui in ciuitatibus diuitiis solis incubuere repertis, in quos<sup>3)</sup> sane uulgu omne consentit, eo quod ad uoluptates blandissimas dominas facilis sternatur diuitiis uia: quibus Ciceronis<sup>4)</sup> nostri sententia haud quoquo modo conuenire poterit. Iuxta enim prudentissimi Archite Tarentini elogium nulla capitalior rebusp. pestis, quam uoluptas ipsa regnorum et urbium maximorum eneruatricis, quibus omnium gentium historie referte sunt. Et ut ex nostris aliquid afferamus, nonne uoluptas penis<sup>5)</sup> et uini saturitas Zodomam et Gomorram peccare fecerunt? Quorsum hec, inquires, tam multa? Ut certe tibi de Ciceronis sententia tantum tribuam, ut probe intelligas te aliquid ad patriam nostram decoris et ornamenti allaturum his rebus quas ingenio tuo et ardentiori in litteris studio comparasti: hec una omnium de te uox est. Nemo est qui ingenium tuum non laudet,<sup>6)</sup> nemo qui non admiretur. Concitasti aduersum te expectationem amicorum et mei, qua te doctum imprimis et ornatum uirtute desideramus, cui profecto expectationi summa tibi opera<sup>7)</sup> conandum est ut satisfacias, ut nec ego quidem diffido, sed admonere te uolui, ut te apud testatum relinquerem qualis in te animus meus esset. Scis enim quam paucum consuetudinis te inter et me hactenus fuerit. Cum te ultimo Monasterii uiderem, admodum puer eras. Nunc te audiens euasisse uirum non potui ingenio tam nobili tanta de se promittenti non gratulari. Accedit ad hec patrie nostre amor, cui<sup>8)</sup> ut dixi non modico tu eris ornamento. Plato ille philosophorum facile princeps ait, non solum nobis natos nos esse, uerum ortus nostri partem patriam partem amicos uendicare<sup>9)</sup>: intellexit uir sapientissimus, ad quid nati essemus, non ad uoluptates sectandas, non ad falsas periturasque diuitias perquirendas, sed litterarum studia et uirtutum precepta complecti debere, his patriam illustrare et uitam beatam consequi posse. Verum enim uero quod ad te scribo uelim ne leuitati tribuas, sed ex integro quem in te animum habeo profectum esse credito. Conueniemus posteaquam tu doctus in patriam reuertisti deo bene iuuante in amicam consuetudinem capiemusque simul studiorum nostrorum dulces fructus. Sed unum est quod meus in te amor tibi dicendum arbitratur, ne scilicet nimium dialecticis<sup>10)</sup> illis inhereas aut exquisite nimis uestre philosophie operam impendas modorum etiam significandi si me audies ineptias pretermittes. Sunt sane res non indigne, in quas et ego nonnumquam diligentiam contuli: sed ingenium hoc tuum ad longe bellissima aptum se iudicat satisque de hisce rebus degustauit, ad alia migrandum est. Eleganter Comicus<sup>11)</sup> id in uita humana necessarium arbitratur ne quid nimis. Sed si qui sunt libri de uirtutibus conscripti, hos legendos occupa, in his studium tere. Habes Aristotelis libros, sed nescio an de uera et noua translatione, que fidelis elegans et plana est<sup>12)</sup>. Vetus illa, qua adhuc Alemania nostra utitur, o quam sententiarum

<sup>3)</sup> Sic L.; nescio an in eius locum substituendum sit in quo, nisi uero in quos idem significare tibi uidetur atque quod uulgo scribitur de quibus. <sup>4)</sup> Ciceroni L. Obuersabatur scribentis animo locus ille in Catone cap. 12. et 13., ubi Archytae oratio affertur, qui „nullam capitaliorem pestem quam uoluptatem corporis hominibus dicebat a natura datam.“ <sup>5)</sup> panis L. <sup>6)</sup> laudat L. <sup>7)</sup> opere L. <sup>8)</sup> tui L. <sup>9)</sup> Cic. de off. I, 7, 22. <sup>10)</sup> dyalecticis L. Nescio an interciderit decipulis; nam illa uoce in quinta epistula usus est ad dialecticas scholasticorum argutias significandas, quo loco ut hic de ipsis modorum significandi ineptiis mentionem facit. <sup>11)</sup> Terent. Andr. I, 1, 34. <sup>12)</sup> De ueteribus illis Aristotelis librorum interpretationibus uide quae diligentissime conscribit Ueberwegius (Grundriss der Geschichte der Philosophie II §. 28). Atque Ethica Aristotelis cum ceteris scriptis primum in latinum ex arabico sermone uersa sunt, tum Nicomachia quidem auctore Roberto Capitone medio seculo XIII. Graeci quidam transtulerunt ex graeco et paulo post admonitu Thomae Aquinatis cum alii tum Guilelmus Moerbeekensis, archiepiscopus Corinthius, Aristotelis libros ad uerbum expresserunt item ex graeco. Hanc uero interpretationem crediderim Langii aetate per Germaniam potissimum in usu fuisse: nouam autem et ueram hic intellexisse uidetur illam quam Leonardus Aretinus confecit. Cuius quidem cum supra uiderimus quanti Langius aestimauerit isagogicum in moralem disciplinam libellum, consentaneum est eiusdem ab eo commendatam esse Nicomachiorum interpretationem.

inuolucris<sup>13)</sup> plena quam barbara quam inlatina! Sed super omnia tibi ut amico suadere ausim libros Ciceronis de officiis, in quibus o deus bone quam copiose et eleganter et uere de omni uirtute precepit uir ille. Sunt eiusdem Paradoxa, de malorum et bonorum finibus, de amicitia et senectute, in quibus nescias an maior dicendi elegantia an de uirtute diuini sit preceptio. Permite aliis de uirtute uanas suas disputatiunculas quibus superabunde et plus quam satis est in scolis perstrepunt et garrunt, tu uero cum grauitate et sermonis nitore de uirtute loqui et cum ea uiuere Tullio te docente nitare. Hanc enim in libro de finibus Tullius<sup>14)</sup> ipse perfectam philosophiam iudicauit que de optimis maximisque rebus cum<sup>15)</sup> ornatu et grauitate dicere possit. Idcirco ut rethoricis operam dones inprimis optarem. In hac<sup>16)</sup> libri Ciceronis rethorice ueteris et noue te docebunt. Et ne quosque secteris magnopere tibi cauendum est: uulgus enim nequaquam in loquendo sectandum. Vulgus puto omnes pene, qui in<sup>17)</sup> Alemania nostra se artem omnem tenere promittunt, qui<sup>18)</sup> omnem latine lingue uenustatem missam facientes nescio quem sibi barbarum incultum horridumque sermonem confingunt. Non damno omnes qui a dicendi arte abhorrent — iuxta enim poetam non omnia possumus omnes — sed hos noto qui per dies et noctes arti nostre dicendi detrahunt remque inanem esse atque longe fugiendam censent. Rem omnino eis incognitam dampnant, quod ideo fit quia eius sunt tarditatis ingenii, ut nil in litteris et rebus humanis dignum uidere<sup>19)</sup> possint. Iacet clausus ante eos magnus Hieronimus nec silogismis eorum cedit. Ab Aurelii Augustini ciuitate, quam dei et diaboli<sup>20)</sup> construit, arcentur. Cyprianum Lactancium ceterasque innumeras fidei et religionis nostre columnas attingere non possunt significandi modis. Sed quid huiusmodi contra litterarum mancos inaniter pugno? saterit mihi si ingenium tuum eorum ab errore eripiam. Iam tu, mi Lubberte, curabis, ut meliora queque sequaris mihique ignoscas, nescio qua fidutia tam multa et forte inepta ad te scribenti: que si tibi grata esse sensero, te ad artium optimarum excellentiam litteris cohortari non cessabo. Vale et me in tuum amicum suscipito. Sunt inter ea<sup>21)</sup> que modo ad te scripsi, que nonnullis forte duriora et mordaciora<sup>22)</sup> uidebuntur, sed cum a uirtute non decesserim eorum irasci non magnifacio: tu mihi plus cure quam eorum forte indignatio longe habitus es. Iterum uale. Ex Adwerth Frysie ad septimum kalendas Apriles Anno 1469.

<sup>13)</sup> inuolutris L. <sup>14)</sup> Locus potius est Tuscul. I, 4, 7: „hanc enim perfectam philosophiam semper iudicauit, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere.“ Quamquam similia leguntur in libris de finibus, ut I, 3, 8: „res uero bonas uerbis electis grauiter ornateque dictas quis non legat?“ <sup>15)</sup> tum L. <sup>16)</sup> Sic L. <sup>17)</sup> Addidi in, quod deest in L. <sup>18)</sup> que L. <sup>19)</sup> uideri L. <sup>20)</sup> dyaboli L. <sup>21)</sup> interea L. <sup>22)</sup> mordaciora L.